

INSIGNIA ACADEMIAE HARVARDIANAE CANTAB: NOV: ANGLIAE
VE RI
TAS
The Gift of
Mary Bryant Brandegee
in Memory of
William Fletcher Weld
HARVARD COLLEGE LIBRARY

SPEUSIPPI

DE PRIMIS

RERUM PRINCIPIIS

PLACITA.

Ravaisson-Mollien, Félix

SPEUSIPPI

DE PRIMIS

RERUM PRINCIPIIS

PLACITA

QUALIA FUISSE VIDEANTUR

EX ARISTOTELE.

Μαντευτέον.
PLATO, *Phileb.*

DISSERTATIO ACADEMICA.

PARISIIS,
EXCUDEBANT FIRMIN DIDOT FRATRES,
INSTITUTI REGII FRANCIÆ TYPOGRAPHI,
VIA JACOB, 56.

M·DCCCXXXVIII.

SPEUSIPPI

DE PRIMIS

RERUM PRINCIPIIS

PLACITA

QUALIA FUISSE VIDEANTUR

EX ARISTOTELE.

I.

1. Nihil fere in historia philosophiæ obscurius, quam quid de primis rerum principiis Speusippus senserit. Non solum ejus scripta, πλεῖστα, ut ait Suidas, καὶ μάλιστα φιλόσοφα, interiere omnia, præter quoddam, dummodo supposititium non sit, ex libro quem Περὶ πυθαγορικῶν ἀριθμῶν inscripserat, fragmentum, plures enim philosophi fuere, quorum libros, quoscumque reliquerant, desideramus, doctrinas tamen satis perspectas habemus; sd de Speusippi placitis præcipuis pauca admodum veterum testimonia supersunt, et quidem pleraque brevia, obscura, parum cohærentia, quædam inter se repugnantia.

Si Ciceronem audiamus, parum ab Aristotele non solum Speusippus, sed etiam vetus omnis Academia dissensit. Sed ethica tantummodo decreta Cicero in animo habuisse videtur. Quippe *Academm. quæstt.* I, 4 : « Nihil enim inter peripateticos et illam veterem academiam differebat; abundantia quadam ingenii præstabat, ut mihi videtur quidem, Aristoteles (1); sed idem fons erat utrisque, et eadem rerum expetendarum fugiendarumque partitio. »

De rerum summa Speusippum Laertius, IV, 4, *in Speusippo*, a Platonis dogmatibus non discessisse affirmat : ἔμεινε μὲν γὰρ ἐπὶ τῶν αὐτῶν Πλάτωνι δογμάτων. Contra Numenius, et Numenio auctore Eusebius (2), tum Xenocratem, tum Speusippum magistri doctrinas non uno modo turbasse et extraneis opinionibus miscuisse queruntur.

Speusippi de primis principiis nonnisi tribus locis Aristoteles mentionem facit; quorum duo, ut infra ostendemus, inter se conciliari non adeo facile possunt.

Aristotelis interpretes Speusippi, Xenocratis, Platonis, Pythagoreorum decreta tantopere mi-

(1) *De Orat.*, III, 18. : « Speusippus, Platonis sororis filius, et Xenocrates, qui Platonem audierat, et qui Xenocratem Polemo et Crantor, nihil ab Aristotele, qui una audierat Platonem, magnopere dissensit; copia fortasse et varietate dicendi pares non fuerunt. » Cf. *de Fin.*, V, 3.

(2) *Præpar. evangel.*, XIV, 5.

scent, ut tenebras discutiant minus quam offundant.

Præterea quod ad Speusippi de Deo, mente, et anima, placita attinet, paucissima et perobscura apud auctores dubiæ fidei Jamblichum et Minucium Felicem; suspecta quædam temerarii cujusdam apud Ciceronem, *de Nat. deor.*, I, 13, Epicurei verba. Nec quidquam alias.

2. Cum autem Speusippus et Platonem exceperit et Aristotelis æqualis fuerit, fortasse æmulus, Speusippææ, quæ Platonicam illam inter et Aristotelicam scholam intercedit, doctrinæ notitia non facile carere posse videtur historia philosophiæ veteris. Ad hoc, in antiquitate non ignobile Speusippi nomen; ut Ciceronem omittam, Aristoteles in Metaphysicis, ubi Xenocratem ne semel quidem nominatim laudare dignatus videtur, bis Speusippi de rebus gravissimis sententiam attulit et perpendit. Tantum abest ut, quod credidit doctissimus H. Ritter, *Hist. philos.* t. II, ejus philosophiam nihili habuerit.

Itaque operæ pretium non abfuturum esse mihi visum est, si quis Speusippi de primis rerum principiis placita nunc oblivione demersa, in meliori tandem luce collocaverit.

3. Cum autem, in Metaphysicis qui dicuntur libris, Aristoteles non solum Platonis, sed etiam Platonicorum de rerum principiis sententias exagitando persequatur, verisimillimum est multa ibi tum ad Xenocratem, tum ad Speusippum, etiamsi non

nominentur, spectare. Quoniam vero hunc Aristoteles ter de primis principiis laudat, bis scilicet in Metaphysicis, in Ethicis Nicomacheis semel, vix dubitandum videtur, quin plura in Metaphysicis, cum tribus locis istis conferendo, ad Speusippum referenda esse inveniamus et demonstremus. Quod si successerit, aliquid non ad Speusippi tantum sed et ad Platonicorum generatim Platonisque ipsius dogmatum notitiam contulerimus, aliquid ad obscuriorum obscurissimi et gravissimi simul Aristotelis libri partium interpretationem. Præterea quid valeat ad philosophiæ præsertim historiam conjuncta cum interpretatione conjectatio, in uno exemplo aliquatenus experiemur.

II.

1. Plato ita de primis rerum principiis sentiebat: præter res singulares sensibus subjectas, esse rerum species, quas *ideas* vocabat; quarum participatione et nomen et *esse* suum res habere (1). Quare ideas rerum singularium principia et causas esse. Idearum principium, et quasi εἶδος εἴδων esse Boni ideam, sive Bonum per se; itaque Bonum omnium esse causam et fontem (2).

(1) Plat. *Phæd.*, pp. 102 b, 103 b; *Phædr.*, pp. 341 b, 346 c, 358 a; *Theæt.*, p. 132, e. Aristot. *Metaph.* I, p. 20, l. 18, Brand.

(2) Plat., *de Rep.*, VI, 505; VII, 517, 532. Aristot., *Met.*, XII, p. 257, l. 1.

Citra ideas nihil nisi fluxam et indefinitam multitudinem ; ideam, unum quid, cujus vi res singulares velut in unum componi. Igitur, cum ideæ ipsæ multæ sint, et suæ sint ideis ideæ, esse ideis principia sua : unum et indefinitum, sive infinitum malueris. Scilicet Infinitum materiæ partes agere, Unum formæ. Bonum ergo unum per se esse, αὐτὸ τὸ ἕν : infinitum autem non unum quid per se, sed magnum et parvum inter se indefinita, seu δυάδα τοῦ μεγάλου καὶ μικροῦ. Unde, prima rerum principia Unum et magni parvique dyada esse (1).

2. Mox, cum numerorum principia eadem sint, ideas esse numeros (2). Non autem numerum quemvis esse statim ideam. Numerorum tria genera : unum εἰδητικὸν, ideale; cujus generis numerus singulare quid, καθ' ἕκαστον, per se sit, neque dividi, ant componi possit; eam enim esse ideæ naturam. Alterum genus, mathematicum, in quo divisio et compositio et numeri ejusdem sine fine repetitio. Tertium sensibus subjectum, e rebus ipsis conflatum, generationi et corruptioni obnoxium (3). Præterea, ut numerorum ita μεγέθων, id est, lineæ, superficiei, solidi, tria genera eodem modo esse. Quare tribus omnino veluti regionibus comprehendi quæcumque sunt; qua-

(1) *Met.*, I, p. 20, l. 28 ; p. 21, l. 29.
(2) Ibid. p. 21, l. 2; XII, p. 250, l. 16.
(3) Ibid. I, p. 20, l. 23 sqq.; XIII, cc. 6, 7, 13.

rum summam, ubi numeri ideales, mens tenet; imam, ubi numeri sensiles, sensus; mediam, quam discursivam dicimus ratio (1); ubi mathematica, quæ ideo τὰ μεταξὺ Plato vocabat (2). Quod ad animum attinet, esse eum ideam unde motus initium Plato credidisse videtur.

Ea est fere Platonicæ de primis rerum principiis philosophiæ adumbratio.

3. Quamquam non statim ab initio numeri in ideas illati, sed paulatim delapsæ ad numeros ideæ; nec nisi sensim ac gradatim ad Pythagoram Plato deflexit. Itaque in dialogis rara, manifesta licet, numerorum doctrinæ vestigia; quædam in Philebo, quædam in Timæo, plura in libris de Republica (3), inter ultimos quos Plato scripserit certissime cum Timæo annumerandis; in quibus plurima et maxime perspicua, imo splendidissima de Bono, idearum principio et fonte.

Numerorum doctrinam ἀγράφοις δόγμασι, de quibus Aristoteles, *Phys.* IV, 2, sepositam fuisse satis constat. Quæ quidem ἄγραφα Speusippus, Xenocrates, Hestiæus, Aristoteles litteris expresserunt. Primas autem ibi quoque partes obtinebat idea boni (unde Aristoteles quos de ἀγράφοις magistri δόγμασι commentarios edidit, Περὶ ἀγαθοῦ

(1) Plat., *de Rep.*, VII, p. 527 sqq.
(2) *Met.* I, p. 31, l. 24; III, p. 46, ll. 12, 24.
(3) VII, p. 527-530. Cf. *Phileb.*, p. 56 d.

inscripsit) (1); ita autem ut in eo præsertim Boni essentia poneretur, quod idem Unum per se, αὐτὸ τὸ ἕν, esset, ac numerorum origo et finis (2).

4. Post Platonem, platonicam scholam numerorum doctrina, hactenus disciplinæ remotioris umbraculis plerumque contenta, totam invasit. Itaque, ait Aristoteles, *Metaphys.* l. I, c. 8, p. 33, l. 4 Brand. : γέγονε τὰ μαθήματα τοῖς νῦν ἡ φιλοσοφία.

His præmissis, ad Speusippum accedimus.

III.

1. Locorum Aristotelis de Speusippo classicorum primum hunc ponam : *Met.* XII, 7, p. 249, l. 20 : Ὅσοι δὲ ὑπολαμβάνουσιν, ὥσπερ οἱ Πυθαγόρειοι καὶ Σπεύσιππος, τὸ κάλλιστον καὶ ἄριστον μὴ ἐν ἀρχῇ εἶναι, διὰ τὸ καὶ τῶν φυτῶν καὶ τῶν ζώων τὰς ἀρχὰς αἴτια μὲν εἶναι, τὸ δὲ καλὸν καὶ τέλειον ἐν τοῖς ἐκ τούτων, οὐκ ὀρθῶς οἴονται.

Scilicet Pythagoricis non, ut Platoni, placuerat primum omnium principium Bonum ipsum, Bonum per se esse; sed contra, in Uno, numerorum fonte et omnium principio, impar et par, finitum et infinitum, bonum denique et malum, quasi in

(1) Vide, si placet, quæ de libris Aristotelis περὶ ἀγαθοῦ et περὶ φιλοσοφίας disseruimus, *Essai sur la Métaph. d'Arist.*, (Paris, 1837, 8°), P. I, l. II, c. 2.

(2) *Met.* XIV, p. 301, l. 16. *Eth. Eud.* I, 5. Cf. Aristox. *Harmon.* II, 30.

unum idemque conflata conjungi; contraria nonnisi in rerum natura prodire. De Speusippo, utrum contraria e primo rerum principio prorsus excluserit, an, in eo quoque Pythagoricos secutus, conjunxerit, nihil Aristoteles. Verisimillimum tamen, idem Speusippo ac Pythagoricis placuisse. Quippe ut hi, sic ille, a plantis et animalibus exemplum sumebat, quibus semina, unde initium habent, pulchri bonique causæ sunt.

Eodem pertinet *Met.* XIV, 5, p. 302, l. 27: Οὐκ ὀρθῶς δ' ὑπολαμβάνει οὐδ' εἴ τις παρεικάζει τὰς τοῦ ὅλου ἀρχὰς τῇ τῶν ζώων καὶ φυτῶν, ὅτι ἐξ ἀοριστῶν ἀτελῶν δὲ [leg. τε] ἀεὶ τὰ τελειότερα, διὸ καὶ ἐπὶ τῶν πρώτων οὕτως ἔχειν φασίν.

Imo, ex tertio quem huc afferemus loco, eodem evidenter spectante, a Speusippo potius quam a Pythagoricis istam primi omnium principii cum animantium initiis comparationem institutam esse satis probabile est *Met.* XIV, 4, p. 300, l. 25: Ἔχει δ' ἀπορίαν καὶ εὐπορήσαντι ἐπιτίμησιν, πῶς ἔχει πρὸς τὸ ἀγαθὸν καὶ τὸ καλὸν τὰ στοιχεῖα καὶ αἱ ἀρχαί, ἀπορίαν μὲν ταύτην πότερόν ἐστί τι ἐκείνων οἷον βουλόμεθα λέγειν αὐτὸ τὸ ἀγαθὸν καὶ τὸ ἄριστον, ἢ οὔ, ἀλλ' ὑστερογενῆ. Παρὰ μὲν γὰρ τῶν θεολόγων ἔοικεν ὁμολογεῖσθαι τῶν νῦν τισίν, οἵ οὔ φασιν, ἀλλὰ προελθούσης τῆς τῶν ὄντων φύσεως καὶ τὸ ἀγαθὸν καὶ τὸ καλὸν ἐμφαίνεσθαι. Per theologos istos significari τοὺς περὶ Σπεύσιππον, ex iis quæ modo attulimus patet. Quin ipsa Speusippi verba hic latere facile crediderim:

ista enim : ἀλλὰ προελθούσης κ. τ. λ. ab Aristotelico scribendi more, præcipue in Metaphysicis, satis aliena, et platonicam quamdam ἔμφασιν spirantia. Saltem, cum et in pythagoreorum superstitibus fragmentis, et in plurimis quæ de pythagorica philosophia habemus testimoniis, nihil quidquam de rerum naturæ processu appareat, fuisse id Speusippi proprium dogma credibile est. Nec fortasse absurdum, si quis prima hic tam celebratæ a Neoplatonicis προόδου initia deprehendere sibi videatur.

Itaque hoc primum Speusippo cum Platone convenit quod de primo rerum principio, id est, de Deo philosophatus est; unde Aristoteli theologus dicitur. In eo autem a magistro dissensit, quod Deum ipsum per se bonum esse negavit.

Quare pergit Aristoteles theologos istos, æquales suos, cum theologis illis veteribus conferendo, qui, cum Jovi principatum et excellentiam tribuerent, ante Jovem rerum initia posuerant, Noctem, Cœlum, Chaos, Oceanum. Veteribus autem theologis quia, ut poetis, theologumena sua ad vulgares fabulas accommodare necesse erat, fabulæ autem mutatum non semel mundi principatum canebant, deosque ab aliis alios regno depulsos, debuisse eos prima quædam rerum principia, citra mutationem posita excogitare, ut principatus ita dignitatis et majestatis divinæ expertia. Qui autem primum a fabulis decesserunt, quales Magi aut Pherecydes, primæ statim

genitrici rerum causæ principatus excellentiam tribuisse; nec aliter, inter eos qui postea sapientes et fuere et habiti sunt, Empedoclem Anaxagoramque; quorum ille amicitiæ, hic menti tribuit principii partes. Omnes contra quam Speusippus fecit, fecisse. Hoc est enim quod sibi vult præclarus locus quem integrum describemus; libro et capite laudd., p. 301, l. 5: Οἱ δὲ ποιηταὶ οἱ ἀρχαῖοι ταύτῃ ὁμοίως, ᾗ βασιλεύειν καὶ ἄρχειν φασὶν οὐ τοὺς πρώτους, οἷον Νύκτα καὶ Οὐρανὸν ἢ Χάος ἢ Ὠκεανὸν, ἀλλὰ τὸν Δία. Οὐ μὴν ἀλλὰ τούτοις μὲν διὰτὸ μεταβάλλειν τοὺς ἄρχοντας τῶν ὄντων συμβαίνει τοιαῦτα λέγειν, ἐπεὶ οἵ γε μεμιγμένοι αὐτῶν καὶ [delendum καὶ?] τῷ μὴ μυθικῶς ἅπαντα λέγειν, οἷον Φερεκύδης καὶ ἕτεροί τινες, τὸ γεννῆσαν πρῶτον ἄριστον τιθέασι, καὶ οἱ Μάγοι, καὶ τῶν ὑστέρων δὲ σοφῶν οἷον Ἐμπεδοκλῆς τε καὶ Ἀναξαγόρας, ὁ μὲν τὴν φιλίαν στοιχεῖον, ὁ δὲ τὸν νοῦν ἀρχὴν ποιήσας.

Verum bonitatem summam pulchritudinemque veteres poetæ in Jove posuerant; Speusippus, in mundanis, progrediente ac veluti explicante se rerum natura, manifestari docebat. Quam quidem sententiam, ut obiter dicam, hisce recentissimis temporibus prorsus renovari vidimus. Itaque ad Speusippum, si quid video, respicit, *Met.* XI, 10, init., Aristoteles: utrum summum bonum, τὸ ἄριστον, universi natura extra se ut unum quid per se ac separatum habeat, an in ordine suo, interrogans. Imo, subjicit,

utroque modo. Habet enim exercitus in ordine suo bonum, sed etiam ac multo magis in duce, per quem ordo est, non autem per ordinem dux: Ἐπισκεπτέον δὲ καὶ ποτέρως ἔχει ἡ τοῦ ὅλου φύσις τὸ ἀγαθὸν καὶ τὸ ἄριστον, πότερον κεχωρισμένον τι καὶ αὐτὸ καθ' αὑτὸ, ἢ τὴν τάξιν, ἢ ἀμφοτέρως ὥσπερ στράτευμα. Καὶ γὰρ ἐν τῇ τάξει τὸ εὖ καὶ ὁ στράτηγος, καὶ μᾶλλον οὗτος· οὐ γὰρ οὗτος διὰ τὴν τάξιν, ἀλλ' ἐκείνη διὰ τοῦτόν ἐστιν. Unde in principio mundi *supramundano* summum mundi ipsius bonum; quod Speusippus non senserat.

Cæterum, eo quem ante descripsimus libri quartidecimi loco, Speusippum Aristoteles cum theologis illis physicisque ponit, quibus ea quæ sunt e nihilo prodiisse placuerat. Non enim aliud esse si res ex Nocte et Chao, quam si ex nihilo educantur, *Met.* XII, 7, p. 247, l. 26: ... ἐκ νυκτὸς ... καὶ ὁμοῦ πάντων καὶ ἐκ μὴ ὄντος.

2. Quia autem e nihilo quod nullo modo est, nihil omnino actu fit, nisi poterat esse, idem est e nihilo, e Chao, e Nocte, e semine informi educere res, ac potentiam ante actum fuisse significare. Ergo et Speusippum Aristoteles, etiam cum nomen more suo omittit, iis annumerat quos θεολόγους τοὺς ἐκ νυκτὸς γεννῶντας vocat, quosque ob antepositam actui potentiam pluribus locis exagitat; inprimis autem *Met.* XII, 6, p. 246, l. 20-30; p. 247, l. 13.

Imo, quum neminem alium cum Speusippo in

hac sententia consociari videamus præter priscos illos et horridos poetas physiologosque, recentiorum, accuratius philosophatorum, nullum, credibile est Speusippum quid sibi vellet omnium optime et scivisse et aptis verbis declaravisse. Quæcumque Aristoteles de actu, quod potentiam antecedat, contra theologos aliter sentientes disputat, maxime ad Speusippum spectare credibile est. Quin etiam quæ *Met.* l. IX, c. 8, p. 185-189, de ea re in universum, et neminis mentione facta, disserit, non sine aliquo ad coætaneam æmulamque philosophiam respectu tam acriter disputari opinor.

Cui conjecturæ facit fidem quod quum, in duodecimo libro, quatuor omnino locis de potentia, quod ante actum sit, disputet, ita quatuor omnibus locis id facit, ut, post impugnatas Platonis ideas quasi iis principium motus non insit, subjungat nec aliam quamlibet causam sufficere, nisi eadem actu sit. Sic c. 6, p. 246, l. 12 : Οὐ τοίνυν οὐδ' αὕτη ἱκανὴ οὐδ' ἄλλη οὐσία παρὰ τὰ εἴδη· εἰ γὰρ μὴ ἐνεργήσει, οὐκ ἔσται κίνησις κ. τ. λ. Sic paulo infra, l. 18 sqq. Sic p. 247, l. 8; sic denique capite ultimo ejusdem libri, p. 258, l. 4-10. Nonne ergo videtur, explosa Platonis sententia, ad Platonis διάδοχον Speusippum venire?

Denique, ubicumque fere potentiam actu priorem esse contendit, hoc exemplo, quod in scholis postea vulgare fuit, utitur Aristoteles : non e semine hominem, sed verius ex homine oriri, quippe

ex homine semen; ἄνθρωπος ἄνθρωπον γεννᾷ. Eadem vero formula in isto supra citato loco reperitur, quem ad Speusippum pertinere demonstravimus, *Met.* XIV, 5, p. 303, l. 1 : Ἄνθρωπος γὰρ ἄνθρωπον γεννᾷ, καὶ οὐκ ἔστι τὸ σπέρμα πρῶτον. Eadem in altero illo quo Speusippus non significatur tantum, sed nominatim laudatur, *Met.* XII, 7, p. 249, l. 25: Τὸ πρῶτον οὐ σπέρμα ἐστὶν, ἀλλὰ τὸ τέλειον, οἷον πρότερον ἄνθρωπον ἂν φαίη τις εἶναι τοῦ σπέρματος, οὐ τὸν ἐκ τούτου γενόμενον, ἀλλ' ἕτερον ἐξ οὗ τὸ σπέρμα. Quippe ipse erat Speusippus, qui ab animantium semine ad primum omnium principium exemplum ducebat.

3. Primum rerum principium Speusippo fuisse τὸ ἓν, Unum, patet ex iis, quæ in libri *Met.* XIV, cap. 5, loco jam bis laudato leguntur, p. 302, l. 29: Ὅτι ἐξ ἀορίστων ἀτελῶν τε ἀεὶ τὰ τελειότερα, διὸ καὶ ἐπὶ τῶν πρώτων οὕτως ἔχειν φασὶν, ὥστε μηδὲ ὄν τι εἶναι τὸ ἓν αὐτό. Inde duo hæc sequuntur : primo idem Speusippo ac Pythagoricis Platonique principium omnium fuisse, Unum; deinde quemadmodum Plato dicebat Bonum, quod quidem nihil aliud nisi Unum ipsum esset, supra essentiam esse, ἐπέκεινα τῆς οὐσίας, sic Speusippum Unum suum, quum omnia potentia esset, nihil autem actu, ne esse quidem contendisse.

Nunc, in iis quæ alterum ex eodem libro locum supra citatum subsequuntur, legimus, p. 300, l. 32 : Τοῦτο δὲ ποιοῦσιν [sc. τῶν θεολόγων τῶν νῦν τινὲς]

εὐλαβούμενοι ἀληθινὴν δυσχέρειαν ἣ συμβαίνει τοῖς λέγουσιν, ὥσπερ ἔνιοι, τὸ ἓν ἀρχήν. Ἔστι δ' ἡ δυσχέρεια οὐ διὰ τὸ τῇ ἀρχῇ τὸ εὖ ἀποδιδόναι ὡς ὑπάρχον, ἀλλὰ διὰ τὸ τὸ ἓν ἀρχὴν ὡς στοιχεῖον καὶ τὸν ἀριθμὸν ἐκ τοῦ ἑνός. Theologi illi sunt, ut vidimus, οἱ περὶ Σπεύσιππον; istos ἐνίους esse τοὺς περὶ Πλάτωνα, quos illi excepere, manifestum est. Plato Unum Bonumque idem esse censebat: Speusippus Bonum ab Uno detraxit. Igitur legendum esse crediderim, ut Philoponus ad h. l. legisse videtur : τοῖς λέγ., ὥσπ. ἔν., τὸ ἓν ἀγαθόν. Nisi forte ita intelligas : « iis qui eo modo quo quidam (scilicet Plato) Unum principium esse accipiebant, » id est, quatenus bonum, ὡς ἀγαθὸν ὄν.

IV.

1. Ecce autem alter de Speusippo classicus locus, quo Unum ab eo in bonis collocatum fuisse declarat Aristoteles. Scilicet *Ethic. Nicomach.* l. I, c. 4, postquam platonicam Boni ideam impugnavit, subjicit : Πιθανώτερον δ' ἐοίκασιν οἱ Πυθαγόρειοι λέγειν περὶ αὐτοῦ, τιθέντες ἐν τῇ τῶν ἀγαθῶν συστοιχίᾳ τὸ ἕν· οἷς δὴ καὶ Σπεύσιππος ἐπακολουθῆσαι δοκεῖ. Quo autem pacto, si Pythagoricum illud et Speusippæum Unum a bono alienum est, teste Aristotele in Metaphysicis, nunc in bonorum ordine, eodem Aristotele teste, collocabatur? Paucis rem expediemus.

Nimirum Pythagorici contraria in duos ordines partiti erant; hinc finitum, impar, dextrum, lucem, bonum, etc. inde infinitum, par, sinistrum, tenebras, malum etc. (1). In utroque autem ordine ab unoquoque contrariorum cætera ordinis ejusdem aut contineri aut certe significari ac repræsentari voluerant; ita ut ordo ille boni omnino ordo, hic autem mali ordo vocari posset. In hoc autem multitudinem, in illo multitudinis contrarium, unum nempe, comprehendi statuerant. Ergo Unum, quamvis per se boni expers, tamen, quatenus multitudini contrarium est, in ordine boni, ἐν τῇ συστοιχίᾳ τῶν ἀγαθῶν, collocaverant.

Quin etiam, si bonum, quo longius progreditur rerum natura, eo magis, ut vidimus, manifestum fit, idem de uno fieri convenit; ita ut quantum ab Uno, primo rerum principio, discedatur, tantum etiam contraria multitudinis pravitati unius bonitas emineat. Sic Pythagorici, sic fere Speusippus sensit.

Itaque Speusippi de Uno sententiam, ut ita dicam, *metaphysicam* in Metaphysicorum locis antea laudatis habemus : nempe, quæ per se sit unius natura; in Ethicis, sententiam ethicam physicamque : quid scilicet unum sit, quatenus πρός τι, ad aliquid, et in rerum natura cum multitudine implicitum.

(1) *Met.* I, p. 16, l. 30.

2. Quod autem alicui per se inest, necessarium; quod non per se, non necessarium. Igitur Aristoteles *Met.* XIV, 4, p. 302, l. 8, postquam Platonem, qui Bonum esse Unum per se, Malum autem contrarium Uni per se principium, nempe dyada magni et parvi statuerat, in absurda plura incidere demonstravit; propterea quemdam exstitisse ait, qui bonum Uni necessarium esse negaret; ab eodem, cum Plato dyada magni et parvi, sive inæquale, ipsam mali naturam esse docuisset, contra, multitudinis naturam in malo positam esse; fieri enim e contrariis generationem: Διόπερ ὁ μὲν ἔφευγε τὸ ἀγαθὸν προσάπτειν τῷ ἑνὶ ὡς ἀναγκαῖον ὄν, ἐπεὶ δ' ἐξ ἐναντίων ἡ γένεσις, τὸ κακὸν τὴν τοῦ πλήθους φύσιν εἶναι. Οἱ δὲ λέγουσι τὸ ἄνισον τὴν τοῦ κακοῦ φύσιν. Quisnam enim iste : ὁ μὲν, nisi Speusippus noster?

Scilicet hic ille est qui bonum non necessario Uni inesse arbitrari debuit: nempe Uni non quatenus ex se et per se est, sed quatenus tantum ad aliquid aliud, competere. Insuper, si contrarium Uni elementum, sive multitudo, sive inæquale et dyas magni et parvi, ipsa mali natura sit (p. 302. l. 6: Καὶ τὸ ἐναντίον στοιχεῖον, εἴτε πλῆθος ὂν εἴτε τὸ ἄνισον καὶ μεγὰ καὶ μικρὸν, τὸ κακὸν αὐτὸ), quæ platonica sententia erat, fore ut quo propius a primo principio res absint, eo plus habeant mali (l. 12: Συμβαίνει δὴ.. μᾶλλον ἀκράτου μετέχειν τοὺς ἀριθμοὺς ἢ τὰ μεγέθη); contra, si malum multitudi-

nis natura sit, non autem multitudo mali, fore ut nonnisi progrediente per rerum naturam multitudine, malum magis magisque emineat, licet a bono magis magisque superatum. Et eam fuisse Speusippi sententiam scimus. Quibuscum mire conveniunt hæc Aristotelis *Met.* XII, 10, p. 256, l. 29: quosdam fuisse qui, cum Plato malum ipsum e principiis unum fecisset, a principiis tum bonum tum malum amoverent: τὸ γὰρ κακὸν αὐτὸ (secundum Platonem) θάτερον τῶν στοιχείων. Οἱ δ' ἄλλοι οὐδ' ἀρχὰς τὸ ἀγαθὸν καὶ τὸ κακόν.

Denique quod Speusippi proprium dogma fuisse novimus de rerum naturæ προόδῳ quadam, in his etiam, eo quem tractamus libri quartidecimi loco, deprehendere est: ἐπεὶ δ' ἐξ ἐναντίων ἡ γένεσις, τὸ κακὸν τὴν τοῦ πλήθους φύσιν εἶναι. Quippe non nisi in rerum generatione contraria, proinde multitudinem, in multitudine autem mali naturam prodire censuit.

V.

1. Mentem Uni a Speusippo ablegatam fuisse confici potest e loco jam supra laudato, *Met.* XIV, 4, p. 381, l. 15; ibi enim cum eo non facere significatur Anaxagoras, Menti principii partes tribuens. Quod quidem, nec minus ea quæ ante a nobis dicta sunt, confirmat Stobæus, *Eclog.*

phys. I, 1 : Σπεύσιππος τὸν νοῦν οὔτε ἑνὶ οὔτε τῷ ἀγαθῷ ταὐτὸν, ἰδιοφυῆ δέ.

Quemadmodum quod Plato quasi prætereundo aut veluti per hyperbolen dixerat, Unum supra essentiam ensque ipsum esse, id Speusippum clarius pronuntiavisse vidimus, sic quod a Platone similiter significatum erat, Unum supra mentem intellectumque esse (1), apertius a Speusippo esse declaratum comperimus. Nempe hoc est illud Neoplatonicorum, quod e platonicæ disciplinæ penetralibus eruere et adversus Aristotelem torquere solent notissimum philosophema: Unum ante Mentem esse, et ante τὴν νόησιν, τὴν ἕνωσιν.

2. Superest tamen dubitatio an Speusippus, quemadmodum Unum per se neque bonum neque ens quidem actu esse, esse autem potentia, imo ab eo quidquid bonum est, quidquid est, originem habere docebat, similiter in Uno mentem veluti potentia esse, quin etiam ab Uno mentis principium petendum esse voluerit? Quomodo enim Deo intellectum, vir quoquo modo platonicus, penitus ablegaverit?

Scilicet Aristoteles, postquam *Met.* l. XII, c. 7, ostendit, contra quam Speusippus senserat, primum rerum principium optimum esse, eo quod actu sit et quidem omnis potentiæ, proinde materiæ, expers, actum autem materiæ expertem mentem esse

(1) *De Rep.* VI, p. 508-9 : ....οὐκ οὐσίας ὄντος τοῦ ἀγαθοῦ, ἀλλ' ἔτι ἐπέκεινα τῆς οὐσίας πρεσβείᾳ καὶ δυνάμει ὑπερέχοντος.

declaravit, capite deinde 8 mentem nonnisi unam esse significavit; pergit c. 9, ipsam primi principii essentiam actum mentis ipsum, non potentiam esse, accuratius demonstrando. Quippe, ait, si intellectus principium aliud sit ac ipsa intellectio, ita ut ejus essentia non in intellectione statim sed in intellectus potentia, sive mente, sita sit, tum mens, primum principium, non erit optimum; in intellectione enim ejus excellentia; quippe in actu bonum, in actu summo summum bonum. Itaque quæ supra, eodem libro, c. 6, p. 246, de eo quod actus potentia prior sit, universatim, contra Speusippum verisimillime, ut vidimus, pronuntiaverat, οὐδ' (ἡ οὐσία ἱκανὴ ἔσται) εἰ ἐνέργησει, ἡ δ' οὐσία αὐτῆς δύναμις, eadem hic, pene iisdem verbis, de mente repetit p. 254, l. 26: εἴτε νοεῖ, τούτου δ' ἄλλο κύριον (οὐ γάρ ἐστι τοῦτο ὅ ἐστιν αὐτοῦ ἡ οὐσία, νόησις, ἀλλὰ δύναμις), οὐκ ἂν ἡ ἀρίστη οὐσία εἴη· διὰ γὰρ τοῦ νοεῖν τὸ τίμιον αὐτῷ ὑπάρχει. Nec aliter, eodem quoque libro, tum c. 6, p. 246, tum c. 9, p. 255, mentem, apud primum rerum principium, nihil præter se ipsam intelligere demonstrat, quam quia ab optimo nonnisi optimum intelligi convenit; si enim secus sit, intellectualis actus, ut pote ad pejora delapsus, non jam optimum illud ac summum bonum, ἄριστον, foret; itaque tota in eo versatur oratio, ut sive in τῷ esse, sive in intelligendo potentia actu sit prior, sitque ita primum principium potentia quædam, non actus ipse, summum bonum

ab eo abfuturum esse ostendatur. Quæ scilicet ipsa Speusippi sententia erat; ita ut tota in Speusippo versari, tota ab eo initium ducere ad eumque redire videatur disputatio.

3. Præterea, quo primum loco libri Metaphysicorum duodecimi, capite 7, primum principium Aristoteles mentis actum esse declarat, summum ei bonum, etiam quoad felicitatem, competere contendit; summam enim voluptatem in optimi actu esse. Verumenimvero, ex *Ethicis Nicomacheis*, l. VII, c. 14, Speusippum exstitisse comperimus, qui voluptatem malum esse contenderet, dolori contrarium; nempe bonum medium inter voluptatem et dolorem esse, utrique, ut æquale majori et minori, contrarium : Ἀνάγκη οὖν τὴν ἡδονὴν ἀγαθόν τι εἶναι· ὡς γὰρ Σπεύσιππος ἔλυεν, οὐ συμβαίνει ἡ λύσις· ὥσπερ το μεῖζον τῷ ἐλάττονι καὶ τῷ ἴσῳ ἐναντίον· οὐ γὰρ ἂν φαίη ὅπερ κακόν τι εἶναι τὴν ἡδονήν. Contra Aristoteles ibidem voluptatem bonum esse defendit, imo voluptatem quamdam optimum, ἄριστον, et cum summo bono conjungi; eam autem in actu optimo sitam esse. Libro autem eorumdem *Eth. Nicom.* X, cc. 4, 5, 6, 7 enucleatius voluptatem declarat non actum ipsum esse, actui autem inhærere, velut complementum quoddam, summo summam, optimo optimam; optimum autem actum optimi esse; optimum mentem, mentem autem ipsam actu; mentem actu in suî ipsius contemplatione totam esse; ad hoc, nihil eam

aliud esse, præter Deum; unde eadem semper Deum felicitate frui qua nos fere, mentem participando, aliquando fruimur. Porro eadem prorsus, eo quem tractamus Metaphysicorum loco, paucis expressa reperimus, p. 249, l. 1 : Διαγωγὴ δ' ἐστὶν οἵα ἡ ἀρίστη μακρὸν χρόνον ἡμῖν· οὕτω γὰρ ἀεὶ ἐκεινό ἐστιν. Ἡμῖν μὲν γὰρ ἀδύνατον· ἐπεὶ καὶ ἡ ἡδονὴ ἐνέργεια τούτου· καὶ διὰ τοῦτο ἐγρήγορσις, αἴσθησις, νόησις ἥδιστον, ἐλπίδες δὲ καὶ μνῆμαι διὰ ταῦτα. Ἡ δὲ νόησις ἡ καθ' αὑτὴν τοῦ καθ' αὑτὸ ἀρίστου, καὶ ἡ μάλιστα τοῦ μάλιστα. Αὑτὸν δὲ νοεῖ... καὶ ἡ θεωρία τὸ ἥδιστον καὶ ἄριστον. Εἰ οὖν οὕτως εὖ ἔχει ὡς ἡμεῖς ποτέ, ὁ θεὸς ἀεὶ, θαυμαστόν· εἰ δὲ μᾶλλον, ἔτι θαυμασιώτερον· ἔχει δὲ ὧδε.

Tota ergo, ut diximus, ad Speusippum spectat oratio.

4. Nec id solum. Speusippus licet Uni et bonum et mentem, actu certe, abnuerit, et, ut ex superioribus patet, conjunctam cum voluptate felicitatem, ei tamen vitam tribuisse videtur. Quippe apud Ciceronem primo *de Natura Deorum*, c. 13, Velleius epicureus : « Speusippus, Platonem avunculum subsequens, et vim quamdam dicens qua omnia regantur (1), eamque animalem, evertere ex animis conatur cognitionem Deorum.» Ubi per *Deos*, deos illos Epicureorum ad humanam figuram compositos, per vim *animalem*, ζωτικὴν manifesto intelligere

(1) Minuc. Felix, *Octav*. 19 : « Speusippum (notum est) vim animalem, qua omnia regantur, Deum nosse. »

oportet. At Ciceroni, vel certe Velleii levitati, cum paulo infra de Aristotele verba faciens, a vero tantopere aberret, quæ potest esse de rebus tam arduis fides?

Ex illo ipso quem tractamus *Metaphysicorum* loco, fidem facere Ciceroni Aristoteles, Aristoteli lucem Cicero afferre mihi videtur. Scilicet postquam Dei felicitatem in mentis seipsam contemplantis actu cum summo bono conjunctam ostendit Aristoteles, continuo esse eum ζῶον ἄριστον statuit; idque ita facit, quasi ad quosdam alludere se significet qui Deo vitam quidem, non autem bonitatem tribuerint, ipse autem, velut auctionem faciens, vitæ bonitatem summam superaddat. Nec alios nisi Pythagoreos Speusippumve istos esse ad quos alludit, ex sequentibus apertum est; p. 249, l. 15: ... ἔχει δὲ ὧδε. Καὶ ζωὴ δέ γε ὑπάρχει. Ἡ γὰρ νοῦ ἐνέργεια ζωὴ, ἐκεῖνος δὲ ἡ ἐνέργεια. Ἐνέργεια δὲ ἡ καθ' αὑτὴν ἐκείνου ζωὴ ἀρίστη καὶ ἀΐδιος. Φαμὲν δὲ τὸν θεὸν εἶναι ζῶον ἀΐδιον ἄριστον. Ὥστε ζωὴ καὶ αἰὼν συνεχὴς καὶ ἀΐδιος ὑπάρχει τῷ θεῷ· τοῦτο γὰρ ὁ θεός. Ὅσοι δὲ ὑπολαμβάνουσιν, ὥσπερ οἱ Πυθαγορεῖοι καὶ Σπεύσιππος, τὸ κάλλιστον καὶ ἄριστον μὴ ἐν ἀρχῇ εἶναι... οὐκ ὀρθῶς οἴονται. Sic enim interpretor. « Et profecto quidem ei vita inest. Quippe, secundum rationes nostras, mentis actus vita, mens autem illa actus ipse est; sed illius actus per se agens vita optima et æterna. Nos itaque Deum non solum animans æternum, sed insuper animans æternum optimum dicimus esse. Igitur

vitam sane et ævum Deus habet continua æternaque (est enim illud Deus); qui autem, ut Pythagorici et Speusippus imprimis, Deo neque summam pulchritudinem neque summum bonum, τὸ ἄριστον, inesse putant, a vero aberrant, etc. » (1) Quod si verborum vis, præsertim in καὶ ζωὴ δέ γε, ac φαμὲν δὲ, accurate expendatur, et orationis ordo et series attendatur, totus iste locus quo pacto aliter intelligi possit non video.

Hic igitur, non debuisse a Speusippo vitam primo principio tribui significat Aristoteles, quia scilicet nonnisi in actu vita est, in mentis autem actu verissima vita, cum summo bono conjuncta.

Ergo una eademque et continua Aristotelis oratio est, quæ duodecimo præsertim libro peragitur: primum rerum principium actum esse, actum autem mentis; tum in mentis actu vitæ perfectionem, summum bonum summamque voluptatem contineri; simul perpetuam Speusippææ philosophiæ reprehensionem una illa et perpetua oratio complecti videtur.

5. Denique id etiam Speusippus primo rerum principio, nempe Uni videtur tribuisse, quod sibi ipsum sufficeret. Aristoteles enim, *Met.* XIV, 4, p. 301, l. 19, postquam Speusippi de bono sententiam cum veterum recentiorumque theologorum et physicorum placitis, ut vidimus, conferendo exagitavit, mirum esse subjicit si non ob id ipsum sibi primum æternumque rerum principium satis sit, quod

(1) Vid. supra, p. 7.

bene habeat : Θαυμαστὸν δ' εἰ τῷ πρώτῳ καὶ ἀϊδίῳ καὶ αὐταρκεστάτῳ τοῦτ' αὐτὸ πρῶτον οὐχ ὡς ἀγαθὸν ὑπάρχει τὸ αὔταρκες καὶ ἡ σωτηρία. Ἀλλὰ μὴν οὐ δι' ἄλλο τι ἄφθαρτον ἢ διότι εὖ ἔχει οὐδ' αὔταρκες (i. e : οὐδὲ δι' ἄλλο ἐστὶν αὔταρκες).

6. Ex his obiter moneboſfarraginem *Definitionum* quæ sub Speusippi nomine non semel edita est, Speusippi, certe ex parte, non esse videri. Ibi enim legimus : Αὐτάρκεια, τελειότης κτήσεως ἀγαθῶν. Εὐδαιμονία, ἀγαθὸν ἐκ πάντων ἀγαθῶν συγκείμενον· δύναμις αὔταρκης πρὸς τὸ εὖ ζῆν, κ. τ. λ. Θεὸς, ζῷον ἀθάνατον, αὔταρκες πρὸς εὐδαιμονίαν. Quæ parum cum Speusippi placitis congruunt. Aut si ista populariter et ἐξωτερικῶς a Speusippo dicta existimare mavis, certe parum ad ejus philosophiæ notitiam conferent.

VI.

1. Ex his quæ s. IV, diximus, Speusippum, postquam Unum supra omnem ἐναντιότητα statuerat, statim infra, unum et multitudinem inter se contraria posuisse constat; in eo quoque a Platone digressum, ad Pythagoricos relapsum.

Pythagoricis enim rerum essentiam sive formam in uno, materiam autem in multitudine indefinita esse placuerat; Platoni, in uno formam, materiam in indefinita dyade magni et parvi. Scilicet Pythagoricum infinitum quod velut unum

quiddam uni contrarium acceperant, Plato quasi in elementa duo inter se contraria dissolverat, nempe in magnum ac parvum. Quorum tamen utrumque, cùm non, nisi quoad alterum, sit, nequaquam per se nec nisi cum altero conjunctum subsistere posse existimabat; unde rursus ambo in unum quid coalescere, nempe in magni et parvi dyada.

Ad hoc, unum istud e magno parvoque conflatum quia nihil nisi quiddam infinitum erat, neque per se ullo modo mensuræ capax, neque cuiquam neque etiam sibi æquum, *inæquale*, ἄνισον, esse Plato dicebat. Proinde, non solum in Platonica dyade non est elementum utrumque, nisi ad alterum; verum etiam nec dyas ipsa nisi ad unum est; adeo ut tota in τῷ πρός τι versetur.

Denique eo usque Platonem perduxerat dialecticam quam vocant philosophandi methodum, ut idearum principia, ac proinde, quoniam ideæ principia cæterorum sunt, omnium omnino rerum principia tum in *uno*, tum in eo quod universe præter unum est, nec quidquam insuper, nempe in *diverso* sive *alio* contineri inveniret. Ergo Platoni principium, ut scholæ formulam usurpem, formale : *unum*, sive *æquale* (ἴσον); principium materiale : *dyas indefinita magni et parvi*, *inæquale*, *diversum*, *aliud* (ἄνισον, ἕτερον, ἄλλο).

Speusippus cum principium materiale in multitudine ponat, non jam id ab eo sic accipitur ut non, nisi habita unius ratione, aut esse, aut

significari possit, sic autem, ut quasi aliquid per se esse videatur.

Quare, quæcumque Aristoteles de nonnullis, quibus, cum Plato materiam in dyade magni et parvi, in inæquali, in diverso, in altero posuisset, eam in multitudine contineri placuerat, ad Speusippum ea indubitanter traho. Sic *Met.* XIV, 4, p. 302, l. 6: ... τὸ ἐναντίον στοιχεῖον, εἴτε πλῆθος ὂν εἴτε τὸ ἄνισον καὶ μέγα καὶ μικρόν κ. τ. λ., quem locum ad Platonem Speusippumque respicere jam aliunde demonstravimus. Eodem libro, c. 5, p. 303, l. 23: Τὸ ἓν ὁ μὲν τῷ πλήθει ὡς ἐναντίον τίθησιν, ὁ δὲ τῷ ἀνίσῳ, ὡς ἴσῳ τῷ ἑνὶ χρώμενος. Similiter c. 1, p. 290, ll. 3-6; ll. 28-30; l. XII, p. 256, ll. 25-26.

2. Nihilominus, multitudinem ipsam, cum magnum et parvum complectatur, in duo veluti membra scindi posse apparet, quorum utrumque non nisi habita alterius ratione quidquam est. Hâc itaque Speusippæam materiam ad τὸ πρός τι pertinere contendit Aristoteles; *Met.* XIV, 1, p. 291, ll. 13-15.

Quin etiam, quum elementa duo complectatur, nonne et hac quodammodo dyas est, et quidem, quia multum et paucum inter se indefinita sunt, indefinita quædam dyas? Ita tamen, ut non nisi, ut ita dicam, implicite dyas sit Speusippæa multitudo, et in elementis tantummodo suis τὸ πρός τι contineat, non autem sit velut *æquale,* ipsa per se πρός τι. Quo valde moveor ut, si non ad Speusip-

pum solum, at certe ad Speusippum quoque spectare credam hæc, *Met.* XIV, 2, p. 293, l. 26 : Εἰσὶ δέ τινες οἳ δυάδα μὲν ἀόριστον ποιοῦσι τὸ μετὰ τοῦ ἑνὸς στοιχεῖον, τὸ δ' ἄνισον δυσχεραίνουσιν εὐλόγως διὰ τὰ συμβαίνοντα ἀδύνατα· οἷς τοσαῦτα μόνον ἀφῄρηται τῶν δυσχερῶν, ὅσα διὰ τὸ ποιεῖν τὸ ἄνισον καὶ τὸ πρός τι στοιχεῖον ἀναγκαῖα συμβαίνει τοῖς λέγουσιν.

3. Cæterum *multitudinem* cum *uno*, tanquam ei contrariam, melius ac verius conferri, quam cum uno *æquale*, aut *diversum*, *aliud*ve, existimat Aristoteles; *Met.* XIV, 1, p. 291, ll. 1-4. Neque illud tamen recte procedere; quippe multitudini non tam unum quam paucitatem contrariam esse; unum in omnibus mensuræ partes habere, nec cuiquam, si res bene perpendatur, esse contrarium; ibid. ll. 4-28 ; cf. p. 293, l. 3. Proinde quæcumque libro Metaphysicorum decimo, capite 5, a p. 202, l. 22, ad p. 204, l. 2 de uno quod neque inæquali neque magno et parvo contrarium sit, acute quidem, disputantur ab Aristotele, pertinere ea ad Platonem; quæcumque eodem libro, toto cap. 6, a p. 204, l. 3, ad p. 206 fin., non minori subtilitate, de uno quod multitudini non sit contrarium, in Speusippum intendi ea affirmare audeo.

4. Denique Platoni ipsa multitudinis natura et quasi essentia magnum et parvum esse visum erat, (*Met.* XIV, 1, p. 290, l. 4: οἱ μὲν τῷ ἑνὶ τῷ ἴσῳ τὸ ἄνισον, ὡς τοῦτο τὴν τοῦ πλήθους οὖσαν φύσιν); Speusippus contra, magnum et parvum numeri

materiam esse non posse; esse enim natura magnitudinis magis propria, propria autem numeri multum et paucum, arbitratus est; *Met.* XIV, 1, p. 290, l. 14 : οἱ μὲν τὸ μέγα καὶ τὸ μικρὸν λέγοντες μετὰ τοῦ ἑνὸς τρία ταῦτα στοιχεῖα τῶν ἀριθμῶν, τὰ μὲν δύο ὕλην, τὸ δ' ἓν τὴν μορφὴν, οἱ δὲ τὸ πολὺ καὶ ὀλίγον, ὅτι τὸ μέγα καὶ τὸ μικρὸν μεγέθους οἰκειότερα τὴν φύσιν. Cf. p. 292, ll. 3-4. Per magnitudinem autem, μέγεθος, magnitudinem extensam intellige; ut ubique apud Aristotelem.

Deinde dyada, quorumcumque sit, numerum tamen esse, et numerum quemdam, proinde quamdam multitudinem Speusippus existimavisse videtur; itaque se, cum multitudinem universe diceret, maxime generalibus principiis uti; *Met.* XIII, 9, p. 284, p. 20 : ὁ μὲν γὰρ ἐκ τοῦ κατηγορουμένου καθόλου γεννᾷ τὸν ἀριθμὸν καὶ οὐ τινὸς πλήθους, ὁ δ' ἔκ τινος πλήθους, τοῦ πρώτου δέ· τὴν γὰρ δυάδα πρῶτόν τι εἶναι πλῆθος. Hic qui prior laudatur, ὁ μὲν, Speusippus; qui posterior, ὁ δὲ, Plato est.

VII.

1. Ex Uno forma, materia autem Multitudine, quid Speusippus effecerit, videamus.

Pluribus locis Aristoteles tres imprimis fuisse narrat inter Platonicos de ideis et numeris sententias; ex quibus una, quam antea declaravimus, vere Platonica : esse numerum idealem a mathe-

matico sejunctum; aliis unum omnino esse numerum mathematicum placuisse; ab aliis denique numerum idealem eumdem cum mathematico factum esse.

De posterioribus his duobus dogmatibus, quorum fuerint, mirum in modum inter se, imo sibi quisque, repugnant quos superstites habemus Metaphysicorum interpretes.

Nimirum secundam sententiam quod nulli præter mathematicos numeri sint adscribunt: Pythagoricis Alexander Aphrodisiensis, apud Averroem *in Metaphys.* XII, 1, p. 240, l. 14 Brand.; Pythagoricis quibusdam, Syrianus in l. XIII. c. 8, p. 278, l. 29; Platoni simul et Pythagoricis Michael Ephesius (1) ad l. XII, c. 10, p. 258, l. 15; Platonico cuidam si Syriano ad l. XIII. c. 6, p. 271, l. 10, credimus, idem Alexander qui, apud Averroem, Pythagoricis; Xenocrati idem Michael Ephesius ad l. XIII, c. 6, p. 271, l. 12, qui modo Platoni et Pythagoricis.

Tertiam sententiam Xenocrati tribuit Asclepius, *ad Met.* VII, 2, p. 130, l. 3; Speusippo simul et Xenocrati Syrianus *ad* l. XIII, c. 8, p. 278, l. 29, et Michael Ephesius, *ad eumdem loc.*, et *ad* c. 9, p. 285, l. 26.

Itaque sententiam eamdem diversis, diversas

(1) Alexandri Aphrodisiensis qui vulgo feruntur in Aristotelis Metaphysicorum ll. VI-XIV, commentarios, Michaelis Ephesii esse, et alibi significavi (*Ess. sur la Mét. d'Arist.*, I, p. 65), et dissertatione singulari demonstrare tentabo.

eidem sententias singulatim, conjunctim, promiscue unusquisque fere interpretum adscribit.

Sed quid in interpretibus moramur?

2. Quam tertiam ponit Aristoteles de ideis et numeris sententiam Speusippi non esse satis evincit, quod *Met.* VII, 2, p. 130, l. 3, commemoratis Platonis Speusippique nominatim placitis (quem locum infra excutiemus) illud dogma tanquam diversum affertur.

Amplius ex *Met.* XIII, 5, p. 271, ll. 19-27 patet, qui tertiam illam, quod numerus idem idealis mathematicusque sit sententiam tuebatur, eum ut suas sui generis inesse numero cuique monadas volebat, monadasque quascumque in quemcumque numerum coalescere posse negabat, ita extensum omne in extensa dividi, τέμνεσθαι μέγεθος πᾶν εἰς μεγέθη, negavisse. Quare de mathematicis eum non mathematice disserere ait Aristoteles, mathematicisque disciplinis proprias hypotheses inferre; *ibid.*; cf. c. 9, p. 286, l. 5; c. 8, p. 279, ll. 3-7; l. XIV, c. 3, p. 299, ll. 10-15.

Quid autem id commenti est de extensis individuis, ἀτόμοις μεγέθεσι, præter famosum illud de *lineis insecabilibus* Xenocrateum dogma? Sic enim *Phys.* I, 3, lineæ insecabiles ἄτομα μεγέθη ab Aristotele dicuntur. Licet autem Plato, ut Zenonis argutias, divisionem in infinitum persequi recusando, effugeret, lineas insecabiles videatur excogitasse(1),

(1) *Met.* I, p. 32, l. 20.

tamen et eo quem tractamus loco Platonem patet in causa non esse, sed quemdam de Platonis schola, et Platonicorum maxime Xenocratem magistri figmentum illud amplexum prosecutumque esse compertum est; quin imo, pene suum fecisse, inventique nomen tulisse; ita ut ubicumque, etiam apud Aristotelem, linearum insecabilium, neminis mentione facta, mentio fit, certissime de Xenocrate agatur.

Ergo ideales eosdem mathematicosque esse numeros, unde neque e similibus monadibus conflatos eos esse, neque ex aliis alios dividi aut componi, sed e primis principiis pro se quemque gigni, non ea Speusippi, verum Xenocratis mens.

Cæterum nihil habet id opinionis genus quod Speusippus Xenocrati invideat. Quippe quod rebus mathematicis idealium numerorum commenta admiscendo, tenebras clarissimæ luci frustra offundit; unde trium supradictarum sententiarum tertiam illam non immerito pronuntiat Aristoteles pessimam esse; *Met.* XIII, 8, p. 278, l. 29.

3. Quod ad Pythagoricos attinet, numerum hi unum ponebant, e rebus ipsis concretum. Qui vero mathematicos numeros, relictis idealibus, retinuerant, iis numeros illos, ut antea Platoni, a sensilibus rebus separatos fuisse patet e *Met.* XIV, 2, 3; quippe ubi idem iis ac Platoni magistro persuasum fuisse legitur; scilicet, nisi numeri a sensilibus separati essent, nullam omnino futuram esse numerorum

scientiam: p. 297, l. 6: Ποιοῦντι δὲ ἀριθμὸν τὸν μαθηματικὸν, πόθεν τε χρὴ πιστεῦσαι ὡς ἔστι τοιοῦτος ἀριθμός...; ἀλλ' ὡς αὐτήν τινα λέγει καθ' αὑτὴν φύσιν οὖσαν... Τὰ γὰρ θεωρήματα τῶν ἀριθμητικῶν πάντα καὶ κατὰ τῶν αἰσθητῶν ὑπάρξει. Et c. 3, p. 297, l. 19: Οἱ δὲ Πυθαγόρειοι... εἶναι μὲν ἀριθμοὺς ἐποίησαν τὰ ὄντα... τοῖς δὲ τὸν μαθηματικὸν μόνον λέγουσιν εἶναι ἀριθμὸν... ὅτι οὐκ ἔσονται αὐτῶν αἱ ἐπιστῆμαι ἐλέγετο κ. τ. λ. P. 298, l. 1: οἱ μὲν οὖν Πυθ... οἱ δὲ χωριστὸν ποιοῦντες, ὅτι ἐπὶ τῶν αἰσθητῶν οὐκ ἔσται τὰ ἀξιώματα. Similiter autem de magnitudinibus sentiebant; quippe *ibid.* l. 9: ὁμοίως δὲ καὶ τὰ μεγέθη τὰ μαθηματικά.

4. Nunc autem, illo quod jam pluries excussimus *Metaphysicorum* libri XIV capite 4, postquam Speusippum Uni bonum ablegavisse significavit Aristoteles, non esse intellectum ab eo animadvertit nequaquam in eo peccatum iri si quis primo rerum principio bonum tribuerit, sed si Uni bonum, Unumque simul elementum, imo numeri elementum esse statuerit; hoc Platonem a vero deerravisse; p. 301, l. 2: ἔστι δ' ἡ δυσχέρεια οὐ διὰ τὸ τῇ ἀρχῇ τὸ εὖ ἀποδιδόναι ὡς ὑπάρχον, ἀλλὰ διὰ τὸ τὸ ἓν ἀρχὴν ὡς στοιχεῖον καὶ τὸν ἀριθμὸν ἐκ τοῦ ἑνός. Ac paulo infra, l. 26, qui bonum Uni abnuerant, ab iis Unum ideo mathematici tantum numeri primum principium et elementum factum fuisse aperte declaratur: τὸ μέντοι ταύτην (i. e.

ἀγαθὸν) εἶναι τὸ ἕν, ἢ εἰ μὴ τοῦτο, στοιχεῖόν τε καὶ στοιχεῖον ἀριθμῶν, ἀδύνατον. Συμβαίνει γὰρ πολλὴ δυσχέρεια, ἣν ἔνιοι φεύγοντες ἀπειρήκασιν, οἱ τὸ ἓν μὲν ὁμολογοῦντες ἀρχὴν εἶναι πρώτην καὶ στοιχεῖον, τοῦ ἀριθμοῦ δὲ τοῦ μαθηματικοῦ. Si enim ideæ numeri essent, fore senserat ut bonum unaquæque esset unitas, et absurda quædam fieret bonorum luxuries, *ibid.* l. 29. Itaque qua ratione Unum bonum esse negaverat, eadem prorsus nullos nisi mathematicos ab Uno oriri numeros Speusippus decrevit.

Igitur tres præcipuas Platonicorum de ideis et numeris sententiás eo ipso ordine quem temporum ratio postulabat, ut par erat, enumeravit Aristoteles; Platoni primum locum, secundum Speusippo, Xenocrati tertium tribuens. Nec enim usquam ab ordine isto decedit.

5. Quæ quum ita sint, non solum ideales numeros, sed ideas omnino a Speusippo rejectas esse e pluribus Metaphysicorum locis palam est; l. XIII, c. 8, p. 278, l. 10: Εἰσὶ δ' οὗτοι ὅσοι ἰδέας μὲν οὐκ οἴονται εἶναι οὔτε ἁπλῶς οὔτε ὡς ἀριθμούς τινας οὔσας, τὰ δὲ μαθηματικὰ εἶναι καὶ τοὺς ἀριθμοὺς πρώτους τῶν ὄντων, καὶ ἀρχὴν αὐτῶν εἶναι αὐτὸ τὸ ἕν. C. 5, p. 271, l. 23. Οἱ μὲν τὰ μαθηματικὰ καὶ μαθηματικῶς λέγουσιν, ὅσοι μὴ ποιοῦσι τὰς ἰδέας ἀριθμοὺς μηδὲ εἶναί φασιν ἰδέας. C. 9, p. 285, l. 26: Οἱ μὲν γὰρ τὰ μαθηματικὰ μόνον ποιοῦντες παρὰ τὰ αἰσθητά, ὁρῶντες τὴν περὶ τὰ εἴδη δυσχέρειαν καὶ πλάσιν, ἀπέστησαν ἀπὸ τοῦ εἰδητικοῦ

ἀριθμοῦ καὶ τὸν μαθηματικὸν ἐποίησαν. Cf. p. 286, l. 29, et l. XIV, c. 2, p. 297, ll. 4-7.

Ergo idealem Platonis mundum Speusippus prorsus abolevit; quod medium fecerat Plato, primum fecit.

6. Idcirco, inter primum principium Unum et numeros non eadem Speusippo ac Platoni ratio intercedit. Plato Unum quasi primam ideam, primumque idealem numerum fecerat; Speusippus, cum numeros nisi mathematicos nullos agnosceret, Unum numerum negavit esse, et a primo numerorum uno, sive monade, diversum esse contendit. Hic itaque Aristoteles, cur, inquit, si ante monada Unum quoddam per se sit, non et ante duo Dyas per se, ante tres Trias per se, etc? Ita ut magis secum consentanea, licet alias absurdior, numerorum idealium doctrina fuerit; *Met.* XIII, 8, p. 278, l. 13: Ἄτοπον γὰρ τὸ ἓν μὲν εἶναί τι πρῶτον τῶν ἑνῶν, ὥσπερ ἐκεῖνοί φασι, δυάδα δὲ τῶν δυάδων μή... Εἰ δέ ἐστι τὸ ἓν ἀρχή, ἀνάγκη μᾶλλον ὥσπερ Πλάτων ἔλεγεν ἔχειν τὰ περὶ τοὺς ἀριθμοὺς κ. τ. λ. Isti enim ἐκεῖνοι, ut ex superioribus liquet, ii sunt, qui mathematicos solummodo numeros ponebant; quos τοὺς περὶ Σπεύσιππον esse demonstravimus.

7. Cæterum, ut Platonem platonicosque, ita Speusippum significat Aristoteles, quo pacto e numerorum principiis numeri efficerentur, an mixtione et temperamento, an positione, an generatione, in ambiguo reliquisse. Pythagoricos de ea

re non premendos esse ait, quippe qui in rebus ipsis numeros ponant; cæteros una eademque reprehensione urget. Postquam enim Platonicorum et Speusippi sententias, ut diximus, inter se contulit, *Met.* XIII, 9, p. 284, subjicit l. 24: ὥστε διαφέρει οὐθὲν, ὡς εἰπεῖν, ἀλλ' αἱ ἀπορίαι αὗται ἀκολουθήσουσι, μίξις ἢ θέσις ἢ κρᾶσις ἢ γένεσις καὶ ὅσα ἄλλα τοιαῦτα. Similiter XIV, 5, p. 303, l. 10—p. 304, l. 2.

Præterea ut Platonem sic Speusippum non definiisse quomodo unicuique numerorum, imo numeri cujusque unicuique monadi materiam suppetere potuerit sive magnum et parvum sive multitudo, testis est Aristoteles; de Platone, vid. *Met.* XIII, 8, p. 279, l. 24 sqq.; XIV, 4, p. 300, l. 19 sqq.; de Speusippo, XIII, 9, p. 284, l. 27-p. 285, l. 8.

8. Denique, a Speusippo, utrum infinitus numerus esset nec ne, in incerto relictum esse patet ex *Met.* XIII, 9, p. 285, l. 8: Ἔτι ζητητέον καὶ παρὰ τοὺς οὕτως λέγοντας, πότερον ἄπειρος ὁ ἀριθμὸς, ἢ πεπερασμένος κ. τ. λ. Quamvis enim, Pythagoricorum Platonicorumque omnium instar, in decade omnia contineri ac perfici decantavisse videatur (lege, si placet, de decadis virtutibus Speusippi quod fertur fragmentum in *Theologum. arithm.*, p. 62), non tamen inde sequitur nullum ei, ultra decada, omnino esse numerum placuisse.

VIII.

1. Nunc de iis quæ præter numeros sunt. En classicorum, qui de Speusippo in Metaphysicis inveniuntur, locorum ultimum. L. VII, c. 2, postquam quibusdam placuisse retulit Aristoteles præter res sensibus subjectas nihil esse, Platoni autem, ideas et quæ media, τὰ μεταξὺ, vocabat, subjicit p. 129, l. 28 : Σπεύσιππος δὲ καὶ πλείους οὐσίας ἀπὸ τοῦ ἑνὸς ἀρξάμενος, καὶ ἀρχὰς ἑκάστης οὐσίας ἄλλην μὲν ἀριθμῶν, ἄλλην δὲ μεγεθῶν, ἔπειτα ψυχῆς· καὶ τοῦτον δὴ τὸν τρόπον ἐπεκτείνει τὰς οὐσίας.

Scilicet Plato ita senserat, in ideis, sive, quia ideæ numeri, in numeris omnium formas causasque contineri. Proinde magnitudinum, sive extensorum formas numeros esse (ideales loquor). Sic lineæ formam ac rationem esse dyada sive *duo*, superficiei *tres*, solidi *quatuor*; *Met.* XIV, 4, p. 299, l. 3-6; VII, 11, p. 150, l. 22-24. Cf. *de Anima*, I, 2. Hæc Plato de extensorum formis, sive formalibus causis; materiam autem iis e magni et parvi speciebus petiisse videtur, ita ut e longo et brevi lineam, e lato et angusto superficiem, ex alto et humili solidum efficeret.

Cum autem lineæ, superficiei, solidi ideas ad numeros *duo, tres, quatuor* referret, non tantum extensorum principia universe numeros esse; verum etiam, ut alii aliorum causæ numeri sunt, a

minori ad majus, sic et inter se extensa alia aliis, sic demum alia aliis principia extensorum causas esse significabat.

2. Speusippus contra tum numeros, tum magnitudines, sive extensa, deinde animum, postremo, ut e *Met.* XIV, 3, p. 298, l. 30, apparet, corpora sensibus subjecta, ab ipso statim Uno, nullo interposito medio, ordiebatur. Quanquam igitur numeros prima entium esse dicebat, non ideo tamen, ut Plato, causas eos dicebat esse. Recte quidem; quo enim pacto causa sit numeri plane mathematici inanitas? *Met.* XIV, 2, p. 297, l. 8 : Τοιοῦτος ἀριθμός... τί τοῖς ἄλλοις χρήσιμος;... οὔτε φαίνεται ὧν αἴτιος.

Quare nec omnibus entium generibus principia eadem esse Speusippus volebat, sed cuique sua. Quamvis enim eo ipso unde sermonem hunc orsi sumus loco id de alterutro tantum principio, sive materiali sive formali, Speusippum credidisse Aristoteles significare videatur, quum dicat ἀρχὰς ἑκάστης οὐσίας ἄλλην κ.τ.λ., de utroque tamen accipiendum esse ostendit locus alter *Met.* XII, p. 258, l. 12, eodem manifesto pertinens : οἱ δὲ λέγοντες τὸν ἀριθμὸν πρῶτον τὸν μαθηματικὸν καὶ οὕτως ἀεὶ ἄλλην ἐχομένην οὐσίαν καὶ ἀρχὰς ἑκάστης ἄλλας κ. τ. λ. Quo quidem loco notandum est a Speusippo revera, ut satis antea demonstravimus, mathematicum numerum primum constitutum fuisse.

3. Ita tamen numerorum magnitudinumque alia

esse principia Speusippus voluit, ut aliquid inter se commune haberent.

Principium numeri formale, ut jam vidimus, unum, non per se, sed quatenus multitudini contrarium est, id est monas; materia autem, multitudo. Principium formale magnitudinis, minimum quid *quasi-unum*; materia autem, quædam *quasi-multitudo*. Ea enim sententia est quam eorum adversari sententiæ dicit Aristoteles, quibus tum numeros, tum magnitudinem e magni parvique dyade fieri placebat *Met.* XIII, 9, p. 284, l. 6. Speusippum autem fuisse novimus, qui e multitudine numeros duceret. Quasi-unum punctum esse volebat : Οἱ μὲν οὖν τὰ μεγέθη γεννῶσιν ἐκ τοιαύτης ὕλης, ἕτεροι δὲ ἐκ τῆς στιγμῆς (ἡ δὲ στιγμὴ αὐτοῖς δοκεῖ εἶναι οὐχ ἓν ἀλλ' οἷον τὸ ἕν) καὶ ἄλλης ὕλης οἵας τὸ πλῆθος, ἀλλ' οὐ πλήθους. Contra Plato punctum nihil aliud nisi geometricum figmentum esse arbitrabatur *Met.* I, 8, p. 32, ll. 20-22.

Itaque ad Speusippum referenda esse crediderim quæ *Met.* XIV, 3, p. 298, l. 14; VII, 2, p. 129, l. 22; II, 16, p. 57, l. 26 sqq., leguntur : quosdam fuisse, qui ex eo quod punctum lineæ, linea superficiei, superficies solidi fines sint, superficiem solido, lineam superficie, punctum linea magis ac verius esse inferrent. Etenim trium locorum illorum primo, continuo velut orationis tenore, ad Speusippi de diversis numeri magnitudinisque principiis sententiam transitur.

Quid Speusippus per *quasi-multitudinem* intellexerit non definitur. Cum autem magnum et parvum, ut diximus, μεγέθους propria esse censuerit, multitudinem autem multumque et paucum numeri, nihil aliud ei fuisse quasi-multitudinem, ex qua extensa educeret, quam magnitudinem ipsam, sive magnum parvumque, certum est.

4. Speusippus, magistrum in eo secutus, magnitudinum materiam e magni parvique speciebus videtur petiisse : e longo et brevi, lato et angusto, alto et humili, lineam, superficiem, solidum educens. Platonicos enim de formali tantum magnitudinum causa dissensisse, de materia autem consensisse significat Aristoteles *Met.* XIII, 9, p. 283, l. 12 : Οἱ μὲν γὰρ ἐκ τῶν εἰδῶν τοῦ μεγάλου καὶ τοῦ μικροῦ.... Τὴν δὲ κατὰ τὸ ἓν ἀρχὴν ἄλλοι ἄλλως τιθέασι τῶν τοιούτων.

5. Verum, cum Plato, ut numeris magnitudinem, ita alias aliis magni parvique species subdidisset, Speusippus contra aliud genus longum et breve, aliud latum et angustum, aliud altum et humile ratus, alia ab aliis dissolvit atque segregavit. Ut enim non magnitudini multum et paucum, sic neque ullum ulli magni parvique generi genus inesse vidit. Unde fere Aristoteles : male quidem Plato, non autem multo melius Speusippus. Si enim magnitudinum principia in aliis alia, ut genus in specie, sint, erunt aliarum aliæ genera magnitudines et ipsæ; nempe si latum alti genus, solidum superficies quædam erit. Contra, si non alia

subsequantur alia magnitudinum principia, dissociatæ erunt quæ revera in aliis aliæ sunt magnitudines; non inerit solido superficies. Et inest tamen. *Met.* I, 8, p. 32, l. 13 : Καίτοι πῶς ἕξει ἢ τὸ ἐπίπεδον γραμμὴν ἢ τὸ στέρεον γραμμὴν καὶ ἐπίπεδον; ἄλλο γὰρ γένος τὸ πλατὺ καὶ τὸ στενὸν, καὶ βαθὺ καὶ ταπεινόν. Ὥσπερ οὐδ' ἀριθμὸς ὑπάρχει ἐν αὐτοῖς, ὅτι τὸ πολὺ καὶ ὀλίγον ἕτερον τούτων, δῆλον ὅτι οὐδ' ἄλλο οὐθὲν τῶν ἄνω ὑπάρξει τοῖς κάτω. Ἀλλὰ μὴν οὐδὲ γένος τὸ πλατὺ τοῦ βαθέος· ἦν γὰρ ἂν ἐπίπεδόν τι τὸ σῶμα. XIII, 9, p. 283, l. 19 : Ἀπολελυμένα τε γὰρ ἀλλήλων συμβαίνει, εἰ μὴ συνακολουθοῦσι καὶ αἱ ἀρχαὶ, ὥστε εἶναι τὸ πλατὺ καὶ στενὸν καὶ μακρὸν καὶ βραχύ. Εἰ δὲ τοῦτο, ἔσται τὸ ἐπίπεδον γραμμὴ καὶ τὸ στέρεον ἐπίπεδον. Similiter XIII, 9, p. 284, ll. 10-17; quo quidem loco Platonem cum Speusippo conferri jam ostendimus; est autem e locis duobus illis quasi compositus concinnatusque.

Præterea, ait Aristoteles, si nihil ad magnitudines numerus, nihil aliæ ad alias magnitudinis species conferant, ecquis jam rerum mundique nexus? quum tamen rerum natura non, veluti deterrima tragœdia, ex episodiis conflata esse videatur; *Met.* XIV, 3, p. 298, l. 24: Ἔτι δὲ ἐπιζητήσειεν ἄν τις... τὸ μηθὲν συμβάλλεσθαι ἀλλήλοις τὰ πρότερα τοῖς ὕστερον... Οὐκ ἔοικε δ' ἡ φύσις ἐπεισοδιώδης οὖσα ἐκ τῶν φαινομένων, ὥσπερ μοχθηρὰ τραγῳδία (1). Quæ quidem

(1) Arist. *Poet.*, 9 : Τῶν δὲ ἁπλῶν μύθων καὶ πράξεων αἱ ἐπεισοδιώδεις εἰσὶ χείρισται.

ad Speusippum pertinere tum ex se manifestum est, tum ex admodum simili loco, quo de Speusippo agi antea demonstravimus *Met.* XII, 10, p. 258, l. 15: Οἱ δὲ λέγοντες τὸν ἀριθμὸν πρῶτον τὸν μαθηματικὸν καὶ οὕτως ἀεὶ ἄλλην ἐχομένην οὐσίαν καὶ ἀρχὰς ἑκάστης ἄλλας, ἐπεισοδιώδη τὴν τοῦ παντὸς οὐσίαν ποιοῦσιν (οὐθὲν γὰρ ἡ ἑτέρα τῇ ἑτέρᾳ συμβάλλεται οὖσα ἢ μὴ οὖσα), καὶ ἀρχὰς πολλάς.

In Speusippum ergo intenditur et quasi torquetur notissimus hic, qui statim subsequitur, præclari istius duodecimi libri epilogus: Τὰ δὲ ὄντα οὐ βούλεται πολιτεύεσθαι κακῶς·

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη· εἷς κοίρανος ἔστω.

IX.

1. Post magnitudinem, tertium ab Uno Speusippus animum posuerat. Quid autem de animi natura senserit, nihil usquam apud Aristotelem, ne in illis quidem *de Anima* libris, aut expressum aut indicatum deprehendere mihi videor.

2. Sed perobscurum Iamblichi de ea re locum tentare liceat, si quam forte ea quæ, ex Aristotele præsertim, de Speusippi placitis comperta habemus lucem afferant.

Scilicet Iamblichus apud Stobæum, *Eclog. phys.* I, 1: Ἐν ἰδέᾳ τοῦ πάντῃ διαστατοῦ (τὴν ψυχὴν εἶναι), Σπεύσιππος.

Primum, per ἰδέαν, cave platonicam ideam intelligas. Speusippus enim ideas prorsus esse negabat. Itaque aut vox ista, ἰδέα, Speusippi non est, sed Iamblichi, aut sensu latiore accipienda, quasi forma, species, non autem species per se stans, singularis et separata.

Quid vero sibi vult: τοῦ πάντῃ διαστάτου?

Apud Aristotelem διάστασις ubique distantia, intervallum, quasi διάστημα; διαστατὸν quod distantiam habet, id est in loco vel spatio dimensionem. Linea μονῇ, superficies διχῇ διαστατός, solidum, sive corpus, τριχῇ διαστατόν. Unde, quia solummodo tres sunt dimensiones, corpus πάντῃ διαστατόν. Neque id Aristotelis proprium dogma; pythagoricum enim est: quippe Philolaus in *Theolog. arithm.* p. 56: Μαθηματικὸν μέγεθος... τριχῇ διαστάν. Aristoteles autem ipse *de Cœl.* I, 1: Καθάπερ γάρ φασι καὶ οἱ Πυθαγόρειοι, τὸ πᾶν καὶ τὰ πάντα τοῖς τρισὶν ὥρισται.. τριχῇ δὲ ὂν διαιρετὸν (τὸ σῶμα) πάντῃ διαιρετόν. Imo Platonicorum, Peripateticorum, philosophorum omnium commune dogma; nempe geometricum theorema ac pene axioma.

Quo igitur pacto Speusippus in eo animi essentiam esse dixerit, quod corporis essentiæ est?

Contra, quod incorporeum, ab omnibus fere, præcipue autem a Platonicis, ad animum pertinere creditur. Incorporeum autem Platonicis præcipue ἀδιαίρετον, ἀμέριστον, ut apud Platonem *passim* legere est. Neoplatonicis autem in usu est, quod in-

corporeum, id ἀδιάστατον nuncupare. Damascius apud Simplicium *in Phys.* p. 146 a : Τὰ ἐν γενέσει πάντα τῆς ἀμερίστου καὶ ἀδιαστάτου φύσεως ἐκπεσόντα. Itaque ut corpori τὸ διαστατὸν, ita menti aut animo τὸ ἀδιάστατον tribuunt. Simplicius *in Physic.* p. 266 a : Ἀμερὴς αὐτοῦ (τοῦ νοῦ) καὶ ἀδιάστατος ἡ πρὸς τὰ νοητὰ τυγχάνει ἐπιβολή· Proclus denique *in Euclid.* II, mathematica in anima incorporeo et indistanti, ἀδιαστάτῳ, modo esse contendit.

Quæ quum ita sint, in laudato illo Iamblichi loco indubitanter repono : Ἐν τῇ ἰδέᾳ τοῦ πάντῃ ἀδιαστάτου.

Neque hæc tamen ipsa Speusippi verba esse affirmare velim. Usum enim vocis ἀδιάστατον in Pythagoricorum veterum fragmentis, in Platone, in Aristotele, Speusippi æquali, frustra quæro. Verum ea certe verba fuere, quibus Iamblichus, ut neoplatonicus, Speusippi mentem aptissime reddere se existimavit. Eam igitur Speusippi sententiam fuisse verisimillimum est, ut corporis essentiam in extensione, animi autem, in natura quadam partibus carente poneret.

X.

1. Cum quartum ab Uno locum Speusippus sensilibus corporibus dederit, ut a numeris, ita a magnitudinibus mathematicis ea segregavit.

2. Attamen, non corpora solum sed et mathe-

maticas quoque magnitudines in loco posuisse videtur. Quippe Aristoteles, postquam, *Met.* XIV, 5, institutam a Speusippo seminis cum primo rerum principio comparationem redarguit, statim e verbo, p. 303, l. 2 : Ἄτοπον δὲ καὶ τὸ τόπον ἅμα τοῖς στερεοῖς καὶ τοῖς μαθηματικοῖς ποιῆσαι. Ad hoc, qui in hac sententia fuerat eum subjicit quid locus esset dicere ne aggressum esse quidem : Ἄτοπον... καὶ τὸ εἰπεῖν μὲν ὅτι ποῦ ἔσται, τί δέ ἐστιν ὁ τόπος, μή. Platonem autem, non solum in Timæo, verum etiam in ἀγράφοις δόγμασι quid locum esse opinaretur declaravisse, ex Aristotele ipso, *Phys.* IV, 2, compertum est. Xenocratem vero, cum de mundo plura disseruisset, et quid sit tempus definire tentavisset, aliquid de loco quoque tentavisse verisimile est. Ergo quæ *Met.* XIV, 5, de loco laudavimus, ad Speusippum pertinere credo.

3. De mundi fabrica secundum Speusippum nihil apud Aristotelem. Scilicet nihil ea de re Platonicorum ullum, exceptis Xenocrate et Hestiæo, dixisse testis est Theophrastus, *Met.* p. 313, l. 1, Brand. : Τοῦ δ' οὐρανοῦ πέρι καὶ τῶν λοιπῶν οὐδεμίαν ἔτι ποιοῦνται μνείαν. Ὡσαύτως δ' οὐδὲ οἱ περὶ Σπεύσιππον, οὐδὲ τῶν ἄλλων οὐθεὶς πλὴν Ξενοκράτης·... πειρᾶται δὲ καὶ Ἑστιαῖος μέχρι τινὸς, οὐχ ὥσπερ εἴρηται περὶ τῶν πρώτων μόνον. Hoc tamen idem Theophrastus *ibidem*, p. 322, l. 11 addit, a Speusippo bonum circa mundi medium, cætera hinc inde in extremis collocata esse : Σπεύσιππος σπάνιόν τι τὸ τίμιον

ποιεῖ, τὸ περὶ τὴν τοῦ μέσου χώραν· τὰ δ' ἄκρα καὶ ἑκατέρωθεν.

Quæ quidem prorsus pythagorica est rerum ordinandarum ratio.

Vidi ac perlegi,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, a. d. VIII id. decembr. ann. MDCCCXXXVIII,

Facultatis Litterarum in Academia parisiensi decanus,


J. VICT. LE CLERC.

Typis mandetur,

Studiorum Inspector generalis, procurandis Academiæ parisiensis rebus præpositus

ROUSSELLE.

Has theses tueri et dilucidare conabitur ad doctoris gradum promovendus J. G. FELIX RAVAISSON, in Facultate litterarum jam licenciatus.




Gs 42.25
Speusippi de primis rerum principii
Widener Library 002411837
3 2044 085 169 977